

§. XVIII.

- 11 Si cum Historiis Orationibusque Illustrum | Poëtarum conferamus carmina, hæc imprimis à communi sermone animi conceptibus fecernenda esse sentiemus. Nam cum simplici Orator modo res existentes exponat, quasi divini cujusdem [sic!] numinis adflatu perculsus Poeta, res non existentes significativo producit figmento, quo latens lucem fœneretur veritas; & hic est dignus judicatus ab antiquis, magnificus Poëseos habitus, qui, quam circumambit veritatem, venustate gratiosorem, majestate venerabiliorem efficit.

XIX.

Fieri itaque vix potest, quin congruus materiæ animi conceptus, raritate admirationem pariat, hypotyposi vivacius percellat, idea sublimi altius extollat, amœnitate capiat, removeatque multis intervallis solutam à Carminibus Orationem. E. g. Virgilii simplex hoc fuit thema: *Æneas Latium tendens tempestatem nactus est adversam*; hoc sterile fœcundum reddidit argumentum fictione:

- I. *Causam*, Junonem irâ incensam, interitumque Trois machinantem, fingit.
 12 II. *Æolum* inducit, qui, Junonis precibus ex- | oratus, subditos vinculis solvit ventos, atque, ut cœlum mareque turbarent, jussu dedit.
 III. *Tempestatis* circumstantias fingit, Eurum Notumque fluctus volventes, Antennarum stridorem, hominum clamorem, tenebricosas diem fugientes [sic! fugantes?] nubes, horridum atra nocte mare, cœli tonantis fragorem, ruptum repetito fulgure ætherem, instantique mortis periculo, perculosos desperatosque Troades, tam vivaciter exprimit, ut non *Æneæ* fata sed ipsam naturam delineasse censendus sit.

§. XX.

- Abit tandem *magnifico elocutionis ornatu* à communi dicendi genere poëma, & tot variis ac infinitis fere modis, ut, singulos si recensere velimus, non Differtatio, sed molestus sua mole conscribendus esset liber. Observasse sufficit, omnes in id studium conferre Poëtas, ut suis admirationem consequantur carminibus; hinc non animi saltem ideis, sed & dictione sublimi à vulgari sermone oportet Poëtam secedere. Ubique obvia, humilia, communia, rara | esse non possunt, quod tamen, cum admirationis mater sit raritas, necessario requiritur.

§. XXI.

Decet itaque, tum à communi loquendi modo deflectere, tum à communi significatione in alienam transferre voces. Primum figuris, alterum tropis, Poetis adeo necessariis, efficitur. Aliquando rythmus, aliquando metrum, carminum obligat scriptores, ut repugnantia, minusque apta, rejiciantur verba; inde vocum oritur penuria, cui legitimo troporum, usu (verborum auctiorem reddentium numerum,) succurrere necessitas exigit.

§. XXII.

Omnibus etiam, quotquot sunt, carminum scopis, sive ornatum sive majestatem, sive voluptatem spectes, satisfaciunt tropi; nam à similitudine